

DE VIPERA PARTV-
riente, Tabula secunda.

CAP. XVII.

RIMO loca posita & explicata coeuntis Vipere; secundo loco parturientis figura premonstrata fuit, quò de partu ab antiquis ferè omnibus, uno excepto Aristotele, monstra & nuge tollerentur, quæ à vero longissime absunt. Viperam in partu enecari, & caput masculi à vipera abscindi, utrumque à vero longè distat. C, igitur dentes canini, acuti, perforantes cum vesicis, aut gingivis indicant. A & B, latera superiora capitis eminentia, quæ à Nicandro tubera & cornua vocantur. D, os vulvæ, vol osculum externum cum catulo Viperæ, F, exeunte. E, sanguis, & foetus excrementa circumfusa. G, Viperulus in involucrio mox exiens, quod statim dehiscit, ac rumpitur, veluti se-

cunda in puerulis. Hic autem Viperulus naturaliter exiens, nondum senectam exuit uterinam, qua triduo exspoliari solent. Et hac in re diligenter animadvertendum est, Aristotelem ambiguitate laborare, id est, involucrum, mox à Viperulo perforatum, extra quod M. viperulus exiit, pro senecta Viperina perperam accepisse, quæ triduo solvitur. L, expoliatur. Et hæc sunt in secunda figura Viperæ parturientis accuratè explicata.



INTERNARUM VIPERÆ

partium explicatio, Tabula
 tertia.

CAP. XVIII.

INterna Viperei corporis parte in collo gula adest, à Græcis æsophagus; & larinx & pharinx asperæ arteriæ capita sunt, & partes, quæ ad pulmonos